

Castonus de la Torre Patriarcha, existens Mediolanensis Archiepiscopus, anno Domini M. CCC. XVII. per D. Joannem Papam XXII. factus est Patriarcha circa Festum S. Silvestri. Non venit ad Ecclesiam suam: sed ipso veniente, dum esset Florentia & equitaret, cecidit cum equo; de quo casu mortuus est, & Florentia fuit sepultus anno Domini M. CCC. XVIII. de mense Augusti.

Paganus de la Torre, existens Paduanus Episcopus, factus Patriarcha per D. Joannem Papam anno M. CCC. XIX. Hujus tempore D. Henricus Comes Goritiae Tarvisii mortuus est anno Domini M. CCC. XXIII. Duces Austriae, & Carinthiae euntes in subsidium Paduae contra Dominum Comitem de la Scala, fuerunt in Forojulio, & damna maxima intulerunt anno Domini M. CCC. XXIII. de mense Decembri.

D. Beltrandus factus Patriarcha anno Domini M. CCC. XXXIII. Et M. CCC. XLI. Rex Hungariae venit Zaram cum LXX. mill. equitum: & steterunt ibi pluribus diebus, & D. Patriarcha fuit ad loquendum cum dicto D. Rege; & post recessum D. Patriarchae, recessit D. Rex cum toto exercitu suo, & reversi sunt Hungariam. Attamen Zarattini submissi fuerunt Dominio Venetorum propter validam famem. Anno Domini M. CCC. XLIX. D. Comes Goritiae venit in Forojulii Advocatus Ecclesiae Aquilegensis cum magna gentium comitiva; eoquod Patriarcha Beltrandus cum illis de Savorgnano & Comuni Utini tenebant rationem Nobilium Virorum Forojulii: & cum dicto D. Comite fuerunt Nobiles Viri, Franciscus de Castello & Propetto, Hermacoras de la Torre de Castelluto, Beachinus de Porcillis, Commune Portus-Naonis, illi de Prata, de Brugnera, illi de Civitate Austriae, D. Bertoldus & Henricus frater de Spilimbergo, & illi de Villalta; omnes cum exercitu suo steterunt in Campanea usque ad ultimum diem Octobris: & donec steterunt, ceperunt Faganeam, Savorgnanum, S. Daniele, Bujam, & Tricesimum: item ceperunt D. Simonem de Valvasono, D. Paganum filium D. Hectoris de Savorgnano, & alios quamplures de Utino propter bellum, & fregerunt rugias Utini. Item venerunt Glemonam, & ibi steterunt per novem dies: & recesserunt a campanea propter malum tempus. Praefatus D. Patriarcha cum Comuni Utini cum suis sequacibus ivit cum magna comitiva, & reperit gentes D. Comitum de Goritia, & ejus vexilla habuit & Utinum conduxit, & adhuc sunt in Ecclesia majori Utini. Destruxit castrum Braulini, quod erat ipsius D. Comitum Goritiae, quod in eo stabant desertores Stratarum. Item Legatus D. Papae inter dictos D. Patriarcham, & Comitem Goritiae fecit treguas die secundo Decembris eodem millesimo. Illi de Morucio, de Tricano, de Cavoriaco, de Colloredo, de Soffumbergo, omnes cum suo sortio fuerunt cum D. Comite Goritiae in ejus subsidium contra D. Patriarcham. Eodem millesimo fuit magna mortalitas, & fuit magna famis per totum mundum, & duravit per duos annos. Item eodem millesimo Utinenses adepti sunt Faganeam, S. Daniele, Morucium, Pers, Tricanum; destruxerunt Sufans, item acceperunt Cortinam Flambri. Item D. Biachinus de Porcillis Capitaneus de Portus-Naonis cum subsidio Domini de Spilimbergo accepit Turrin Utini.... Item 1350. die 6. Junii die Dominico D. Patriarcha Beltrandus existens in Sacilo cum D. Federico Savorgnano, Antonio de Carnea, Girardo de Cucanea, Francisco de Nimis, S. Hectore de Miulitis de Utino, volens venire Utinum; ipsi D. Patriarcha fuit persuasum,

Tom. II.

ut non veniret, quoniam inimici sui observabant eum. Ipse D. Patriarcha dixit: velle ire, & velle immolari pro Christo, & pro Ecclesia Dei; & sic venit cum Comitativa sua. Unde gentes D. Comitum Goritiae, D. Henricus de Spilimbergo, ille de Villalta, cum aliquibus aliis Nobilibus Patriae venerunt in campaneam, quae dicitur Archivolt; & ibi aggressi fuerunt praedictum D. Patriarcham, & comitivam suam, & violenter bellaverunt: & in ipso bello mortuus fuit dictus D. Patriarcha. Et dicitur, quod in loco ubi D. Patriarcha interfestus fuit, nunquam nata fuit herba: & capti fuerunt D. Franciscus & Girardus supradictus, S. Franciscus de Nimis, & S. Hektor de Miulitis de Utino, & quamplures alii, & quidam filius supradicti D. Gerardi de Cucanea. Postea homines de Spilimbergo acceperunt corpus dicti D. Patriarchae, & poluerunt illud supra uno curru cum duabus meretricibus, videlicet una ad caput, & alia ad pedes: & miserunt Utinum dicentes, Accipite Patriarcham vestrum sanctum: & in Utino in Ecclesia majori honorifice per Urinenses fuit sepultus, & postea multa miracula fecit, & quotidie facit, ut apparet in Libro Miraculorum suorum, qui est Utini in Ecclesia Majori. Sedit annos XV. menses XI. Postea facta fuit vindicta de ejus morte per Dominum Patriarcham sequentem.

Nicolaus Patriarcha, quondam D. Joannis Regis Boemiae, & frater D. Caroli Imperatoris, fuit factus Patriarcha in M. CCC. LI. die XVIII. Maii. Sedit annis septem, mensibus novem, dies octo. Per supradictum Dominum Patriarcham captum fuit Castellum Propetti; & cum gentibus Domini Comitum Goritiae, & Castellanis Forojulii exterminaverunt, & per terram dejecerunt castrum Propetti cum eximio belligerae gentis armigero. Et eodem tempore Mareschalis D. Nicolai Patriarchae cepit..... D. Joannem Franciscum de Castello Propetti, & Porpetum filium D. Joannis Francisci, & unum alium juvenem; & fregit dictus Mareschalis hospitium, ubi erat dictus D. Franciscus: & ibi eum cepit cum dicto filio suo, & die septima sequenti mensis Septembris dicto D. Joanni Francisco abrasum fuit caput; & positum super una lancea de cavallo, portatum fuit circumcirca Terram Utini, & positum fuit super Porta, qua itur in Castellum Utini. Et die sabato praedictus Dominus Patriarcha cepit D. Armannum de Carnea, & filium ejus, & fratrem; & eos posuit in carceribus: & die XVI. Decembris fecit decapitare D. Armannum de Carnea. Eodem millesimo CCC. LII. mense Januarii destrui fecit castrum Tercenti inferioris. Item Dominus Patriarcha destrui fecit partem Castri de Mels. Item diruptum fuit castrum de Castellario per Utinenses, & lapides dicti Castri conducti fuerunt Utinum. Item dictus D. Patriarcha accepit castrum Soffumbergi in se, & suspendit D. Henricum, & de dicto castro expulit consortes dicti Domini Henrici. Item anno Domini M. CCC. LIII. dictus D. Patriarcha fecit sequestrare D. Federicum de Portis: & dirupta fuit domus D. Francisci de Villalta per Comune Utini. Item dictus D. Patriarcha praesentavit Castelluturum, & brevi ibi tempore mansit. Et dictus D. Patriarcha omnia supradicta fecit pro vindicta mortis D. Patriarchae Beltrandi. Item anno Domini M. CCC. LIV. die XIII. Octobris serenissimus dictus D. Carolus filius Regis Boemiae, & frater praedicti D. Nicolai Patriarchae, qui electus erat Rex Romanorum, applicuit Glemonam, & in Castrum equitavit Utini. Eodem millesimo praedictus D. Carolus ab Eccle-